10

EPISTOLA


PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

ECCLESIAE

RUBEN. ET BITUNTIN.



BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

ROMAE

EX TYPOGRAPHEO SALVIUCCIANO

ANN. MDCCCLIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VINCENTIUS MATEROZZI

MISERATIONE DIVINA ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS RUBEN. ET BITUNTIN.

VENERABILIBUS FRATRIBUS, DILECTIS IN CHRISTO FILIIS

CLERO ET POPULO SUO

PACEM ET SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM

QUI EST, *mittit Me ad vos, ut evellam et destruam et disperdam et dissipem et aedificem et plantem* (1). Ex huius divinae missionis consideratione proh quanta laetitiae aeque ac timoris argumenta Nobis oboriuntur! Quo enim gaudio exultare debemus, cum scribimus ad Nostras amantissimas oves, quas aeternus Pastor suo pretioso sanguine redemptas, Nobis nil tale merentibus regendas, pascendas, atque ad aeterna pascua ducendas inscrutabili suae Sapientiae iudicio concredere est dignatus? ad dilectissimam Nobis Sponsam, descendentem Nobis de coelo a Deo quam in hac solemni Nostrae Consecrationis die Ipse

(1) Ex. III, 14. Ier. I, 10.

Digitized by Google

Divinus Spiritus per Summum Pontificem Pium IX. sacro ac indissolubili foedere Nobis coniunctam voluit? Cuius tanto Nos inflammavit amore ut pro illa et parentes dulcissimos et fratres carissimos et Nostra omnia relinquere, et omnes quantumvis improbos labores suscipere atque perferre, ipsam denique vitam proiicere, Deo adiuvante, non dubitemus.

Haec tamen dum scribentes animo revolvimus, et quadam dulcedine, immo incredibili voluptate perfundi ac gestire videmur, non pauca simul Nobis ante mentis oculos formidinis argumenta obversantur. Obversatur Episcopalis dignitas, cuius onus angelicis humeris formidandum, atque Augustini sententia, nonnisi caritate urgente suscipiendum, tot tantisque vexatur incommodis, tot tantisque difficultatibus ac periculis undique est circumseptum, ut Chrysostomus divino lumine fretus, affirmare non sit veritus, se *non arbitrari inter Episcopos multos esse qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant, quia saepe non propriis, sed peccatis damnantur alienis, quae non impedienda curarint* (1): quippe quod onus Pastoribus datum hoc est, ut sicut duces et gregis rectores constituuntur, ita non de sua tantummodo vita, sed de universo grege in aeterni Iudicis conspectu strictissimam rationem sint reddituri. Obversatur etiam ingenii Nostri tenuitas, Nostra fere iuvenilis aetas tantae dignitati parum matura, scientiarum cognitio non exquisita,

(1) Hom. III. in Act.

Digitized by Google

nulla fere humanarum rerum experientia, in primis vero omnium illarum virtutum inopia, quas Apostolus scribens ad Titum et Timotheum, in perfecto Pastore requirit. Obversantur denique tristissima haec tempora, in quibus infinita prope hominum agmina insanienti Sapientia intumescentium, atque philosophorum nomen sibi arrogantium, os suum in coelum ponere, sacratissima ac divinissima quaeque pessumdare, ac ipsam Catholicam Religionem funditus evertere, omnibus effraenis animi cupiditatibus habenas relaxare, familias, populos ac regna permiscere atque hominum genus in aeternum exitium per summam audaciam, seu verius per diabolicam impietatem pertrahere connituntur.

Inter tot talesque timoris causas, inter tot formidandas hostium acies, num animum despondebimus? num terga turpiter vertemus? Absit, absit. Qui Nos ad hanc Ecclesiam regendam vocavit, et sapiens est et potens. Ipse linguas infantium facit disertas, et velut ludens in orbe terrarum, ad ostensionem virtutis suae, infirma mundi quandoque eligit, ut confundat fortia. Ipse, qui parvulos in umbra tabernaculi sui absconditos educens in latitudinem, in cathedra seniorum sedere facit. Ipse erit, et haec est spes Nostra in sinu Nostro, qui opus istud quod in Nobis coepit, confirmabit quoque, et idem Ipse dignanter perficiet. Quamvis enim in terris Nos homines ad clavum Ecclesiarum assideamus, Ipsum tamen invisibili manu gubernacula tractare firmissime tenendum

Digitized by Google

est, et Ipsum adhuc in puppi Petri sedentem ventis et mari imperare, qui eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium, Jesus Christus heri et hodie, ex quo omnis sufficientia est.

Sub tanto Duce ac potentissimo Rectore non est Nobis desperandum, non timendum, sed tantum intelligendum Nobis est, Nos constitutos vigiles ad custodiam templi, operarios ad salutem Israël, Dei adiutores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi; et ideo numquam dormiendum, sed dies noctesque Nobis vigilandum, ut a grege Nobis concredito foris sint lupi vespertini et canes, foris vulpes quae demoliuntur vineas, foris homo qui superseminat zizania. Quod officium ut perfecte a Nobis adimpleatur, nunc voce, nunc scriptis, nunc hortando, nunc monendo, nunc comminando, opportune et importune excitandi sunt coadiutores Nostri in custodiendo grege Nobis commisso, ut oves pro viribus tueantur, nullamque perire sinant.

Ad hoc Nos urget caritas Christi, et ideo primum Vos appellamus, illustrissimi utriusque Capituli Canonici. Vestris animis fixa atque recondita haerere existimamus illa Carthusiani gravissima verba: *se ideo dici Canonicos,* quoniam regularem *et rectam tenentur ducere vitam, vitiorum obliquitates vitando* (1). Respondeat itaque (ut hactenus respondisse laetamur) respondeat vel in

(1) De vita Canonic.

Digitized by Google

posterum vita vestra titulo, respondeat nomini: estote vita et moribus, ut estis nomine Canonici. Si inter ministros sacrorum caeteris honore et dignitate praeitis, incumbite ut morum sanctitate, vitae innocentia et scientiarum splendore sic antecellatis, ut vos Nostros consiliarios, adsessores, et senatum esse, iure meritoque dictitemus. Mementote singulare pondus dignitatis sobriam a turbis gravitatem, et severam vitam sibi vindicare. Mementote etiam quod Psalmodia est *vox Ecclesiae.... caelestis Reipublicae in commune proposita functio* (1); et quod *septem Canonicarum Horarum officia, quasi septem Baptismatum lavacra, in sanctae Ecclesiae sunt gremio constituta* (2). Mementote, vos non pro una civitate, sed pro universo terrarum orbe legatos intercedere, deprecatoresque esse apud Deum, ut hominum omnium non viventium modo sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat: ac proinde ex intimo affectu arrectaque mente in solum Deum, nocturnum hoc diurnumque vestrae servitutis pensum exsolvite: maledictus enim qui facit opus Domini negligenter (3). Haec recogitantes eritis semper praeparati ad tentationem, et vos non homines sed angelos divinas laudes in terris concelebrantes, se quodammodo et audire et cernere christiana plebs arbitrabitur.

Quibus vero verbis vos, fratres carissimi, coadiutores nostri animarum rectores, vos, inquam, Parochi, com-

(1) Basilius in Prooem. psalm.
(2) Petrus Damian. de Hor. Can.
(3) Ier. XLVIII, 10.

Digitized by Google

pellabimus? Contemplamini quid sit populo sancto praeesse, et considerate quale sit divinis sacramentis insistere. Vestrum est pascere gregem vobis concreditum. Eja ministerium vestrum fideliter obire pergite, inspicientes in exemplar quod nobis monstratum est, in Jesum Christum, qui erat docens quotidie in templo, et *praedicationis verba nec indignis nec ingratis subtrahebat* (1). Memineritis quod *in Ecclesia Dei non sunt omnes videntes nec recte ambulantes, sed accedentes ad verbum Dei sanantur* (2). sicut accesserunt ad Jesum caeci et claudi in templo, et sanavit eos. Agnoscite ergo vos *Fidei magistros non aliter summo Pastori gratos fore, quam si omni studio caveatis, ut rationales oves recte curentur et bene habeant* (3). Si ergo vultis vos *Christo commendatos esse, curam habete ovium illius, publicam quaerite utilitatem, fratrum vestrorum saluti prospicite; nullum enim officium Deo carius hoc est* (4). Heu! quot pastores *populorum iniquitate damnantur*, si eos *aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt* (5)! Verum super omnia gregem pascite exemplo, ita ut facti forma gregis ex animo, vitam moresque vestros ad divinae legis ac sacrorum canonum normam componentes, illam tamquam imaginem scite depictam omnibus praebeatis, quo eam, quantum vires tulerint, imitentur. Mementote quod *soli*

(1) Gregor. Magnus Hom. 29.
(2) Origenes Tract. 13. in Matth.
(3) Cyril. Alex. in Ioh. 21.
(4) Chrys. Orat. de B. Philogon.
(5) Isidor. Lib. 3. Offic. cap. 46.

Digitized by Google

non potestis perire, quia praeire debetis docendo et operando (1): ideoque animo et corpore optime comparati, exhibete vosmetipsos operarios inconfusibiles, adeo ut quicumque ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de vobis. Diligite insuper domus Dei decorem, templi nitorem, divini cultus incrementum, ut populus ad pietatem inflammetur, atque in fide solidetur. Utinam dici de vobis possit, quod Hieronymus de Nepotiano: *Erat sollicitus si niteret Altare; si parietes absque fuligine; si pavimenta tersa; si ianitor creber in porta, vela semper in ostiis; si sacrarium mundum; si vasa luculenta: et in omnes caeremonias pia sollicitudo deposita. Non minus, non maius negligebat officium. Ubicumque eum quaereres, in Ecclesia invenires* (2). Quidquid in templo ministratis, gratis date quia gratis accepistis: *Deus namque templum suum non mercatoris vult esse diversorium, sed domicilium sanctitatis; nec vendibili Religionis officio, sed obsequio gratuito usum ministerii Sacerdotalis informat* (3). Exurgat auctoritas vestra contra profanatores domus Dei, intuentes Magistrum sic facientem: si emendare non potestis, tolerate et gemite. Demum, Carissimi, nullum sit calamitatis genus, cui paterno studio non occurratis; solamini moestos, sustentate egenos, docete errantes, renitentes ad remedium salutis protrahite, corripite indomitos, roborate pusillanimes,

(1) Bern. Serm. ad Past. in Synod. n. 7.
(2) Epist. 3. ad Heliod.
(3) Ambros. Comment. in Luc.

Digitized by Google

suscipite infirmos: uno verbo patientes estote ad omnes, ut omnes benedicant Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, qui fecit eis per vos misericordiam suam.

Hactenus dicta, magna saltem ex parte vobis quoque communia esse intelligitis, Sacerdotes omnes sive saeculares sive regulares. In memoriam revocate, vos esse Dei ministros, quos Spiritus Sanctus dedit fungi ministerio angelorum, et licet in terris vita vestra agatur, officium tamen caelestibus negotiis contineri. Sanctificamini igitur, et cavete, ne Redemptoris nostri Sacramentum impiorum contemptui praebeatis. Vos estis lapides Sanctuarii: cavete, ne sitis lapides offensionis et petra scandali. Illa Tridentini verba semper ante oculos habeatis: *Nihil est, quod magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se Divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex eisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant: levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, fugiant, ut eorum actiones, cunctis afferant venerationem* (1). Vos igitur facti spectaculum mundo, angelis,

(1) Sess. XXII. Cap. I. de Reform.

Digitized by Google

et hominibus, mundum doctrina illuminate, homines exemplo instruite, angelos virtutibus aemulamini. Haec agentes, ministerium vestrum reddetis Deo acceptum, hominibus honorabile, et mercedem magnam nimis a caelesti patrefamilias accipietis.

Nunc ad vos sermo Noster, prudentes Virgines, quae in secretioribus Ecclesiae hortulis conclusae Agnum sequimini quocumque ierit. Quam pulchra est casta vestra generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, et apud homines! Vos estis flos ecclesiastici ordinis, lectissima portio gregis Christi. Vos estis comites angelorum, et corporale Dei templum, in quo habitat Spiritus Sanctus. Vos felices, quae mundi illecebras exosae, sponsum vobis Christum Iesum delegistis. Etiam atque etiam attendite, quod Dilectus vester pascitur inter lilia. Memores ergo nobilitatis vestrae, estote virgines mente, virgines professione: spiritu vivite, spiritu ambulate: exhibete corpora vestra hostiam sanctam, viventem, Deo placentem. Vigilate, quia, qua non putatis, hora Sponsus vester adveniet. Idcirco sicut columbae in foraminibus petrae gementes, hunc semper suspirate: tamquam virgines prudentes, cum facibus oleo caritatis iugiter ardentibus, hunc semper praestolamini: ut in eius adventu reformetur corpus humilitatis vestrae, configuratum corpori claritatis suae.

Vos autem, quorum interest publicam rem mode-

Digitized by Google

rari et communibus civium commodis prospicere, in Domino hortamur, ut iustitiam diligatis. Animo recolite, quod prope est dies Domini, et omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, qui iustitias iudicabit, iudicium durissimum de his qui praesunt, facturus. Quapropter nulla unquam sit apud vos personarum acceptio; sed ita parvum ac inopem audiatis, ut divitem et magnum, semper quod iustum est, iudicantes: atque in id praecipue vigiles estote, ne tenuiores propter imbecillitatem circumveniantur, nec locupletibus, ad sua vel tuenda vel recuperanda, gratia magis et potentia, quam leges faveant.

Qui sublimi loco nati estis, gloriamini, at in Domino: non ab antiquorum probitate degeneres facti, sed veram nobilitatem mordicus retinentes, nempe divinam imaginem. Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate terrena omnia arbitrantes ut stercora, ut induamini Dominum Iesum Christum.

Divites, vobis in Domino praecipimus: nolite sperare in incerto divitiarum, sed thesaurizate vobis thesaurum non deficientem in caelis; praeterit enim figura huius mundi. Thesaurus caeli est manus pauperis, et manus pauperis est gazophilacium Christi, quia quidquid pauper acceptat, Christus acceptat. Date ergo pauperi terram ut accipiatis caelum, date nummum, ut accipiatis regnum; opes miseras eleemosyna compu-

Digitized by Google

tate; quae humana sunt, in divina convertite. Filii, per misericordias pauperum assumite patronam vobis misericordiam in extremo iudicio, ut esse possitis de poena liberi, de salute securi, quia frustra misericordiam sperat in caelis, qui in terris misericordiam non fecerit.

Filii quotquot estis carissimi et desideratissimi, state in fide. Illa enim tenebricosa tempora ab Apostolo praedicta advenisse videntur, *cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (1), *cum erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi.... sine pace, criminatores, incontinentes... proditores, protervi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes* (2). Hos, tamquam immanissimam Christianae Religionis atque humani generis pestem, devitate: hos, iterum atque iterum obtestamur cane peius et angue fugiatis. Blandiloquis ipsorum vocibus aures nolite praebere: dum enim se se de hominum genere optime meritos vestraeque felicitatis studiosissimos vindices esse gloriantur, sunt hominum hostes acerrimi, et principis tenebrarum fidissimi satellites; qui Religionem, tamquam cuiusvis mali parentem, ex universo terrarum or-

(1) Tim. IV, 3.4.
(2) Ibid. III, 2. seqq.

Digitized by Google

be exterminare, atque ita homines in aerumnarum criminumque omnium voraginem urgere ac propellere dies noctesque moliuntur. Sit itaque maxima cura ac gloria vestra, numquam ab illa fide discedere, quam ab ipso B. Petro accepistis, quam Summus Pontifex Cletus, olim Pastor vester, sanguine obsignavit, quam tot deinceps venerabiles Praesules ad hanc usque diem sartam tectam in vobis servare studuerunt. Hanc tamen fidem operibus comprobate, quia fides sine operibus mortua est. Satagite igitur, ut per opera vestra bona, certam faciatis vocationem vestram.

Ut autem haec vota nobis benevertant enixe oremus, Fratres Filiique carissimi, Deum Patrem Omnipotentem, ut numine suo haec omnia in nobis perficiat; oremus et Iesum Christum Salvatorem nostrum, quoniam ex Ipso et per Ipsum et in Ipso sunt omnia; Spiritum denique veritatis invocemus, qui fidem augeat, spem firmet, caritatem foveat. Quae orationes ut sicut incensum in Augustissimae Trinitatis conspectum ascendant, utamur patrocinio Virginis et Matris Mariae, primaevae labis omnino nesciae (cuius septem dolorum memoria, quibus nos genuit stans iuxta Crucem Filii sui, hac die recolitur), nec non invicti martyris Ianuarii Pontificis, quorum praesentissima ope utriusque Siciliae stat regnum: utamur etiam praesidio omnium Sanctorum Apostolorum, quorum tutela totum Ecclesiae corpus gubernatur ac regitur. Per hos, et per San-

Digitized by Google

ctos Caelites Ruben. atque Bituntin. Dioeceseos custodes, volumus fieri obsecrationes, orationes, gratiarum actiones pro omnibus Christi fidelibus, praesertim pro Sacrosanctae Catholicae Ecclesiae exaltatione, quae quotidie vos generat verbo vitae; pro Pastore Pastorum, Episcopo Œcumenico, populorum Patre Pio IX Pontifice Maximo, ut Pater misericordiarum diu sospitem servet, eumque magnificet in timore inimicorum; pro piissimo nostro Rege Ferdinando II. implorantes Ei vitam prolixam, imperium securum, populum devotum; pro cunctis Ecclesiae ordinibus, ut in Sancta Religione illos Deus conservare dignetur; tandem pro Nobis, ut Deus Nobis aperiat ostium sermonis ad praedicandum Iesum Christum, et ut induamur multiplici Dei spiritu ad tuendam hanc vineam Nobis concreditam.

Deus autem repleat vos uberioribus caelestis gratiae donis, ut, cum veniemus, possimus consolari in vobis: maiorem enim non habemus gratiam, quam ut videamus filios Nostros in caritate ambulare, ut in vobis honorificetur Deus per Iesum Christum, cuius virtute Pastoralem vobis benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae extra portam Latinam XIV. Kalendas Octobris anno a partu Virginis MDCCCLIII. ipsa Consecrationis nostrae die, Dominica III. Septembris.

VA1
1546103

Digitized by Google

IMPRIMATUR
Fr. Thomas M. Larco Ord. Praed. S. P. A. Mag. Soc.
IMPRIMATUR
Fr. Ant. Ligi-Bussi Ord. Min. Conv. Arch. Icon.
Vicesgerens.

Digitized by Google